Mythologia, Padoue, 1616 - 58 : Vénus avec les Amours, les Heures et les Grâces

Auteur(s) : Ferroverde, Filippo (graveur)

Collection Série C - 1615. Filippo Ferroverde, Nove Imagini degli dei (Padoue)

Nove Imagini, Padoue, 1615 - 144 : Vénus avec les Amours, les Heures et les Grâces *a pour reproduction ce document*

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia

Citer cette page

Ferroverde, Filippo (graveur), *Mythologia*Padoue, 1616 - 58 : Vénus avec les Amours, les Heures et les Grâces, 1616

Consulté le 23/01/2026 sur la plate-forme EMAN :
https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/7777

Copier

Présentation du document

Publication*Mythologiae, siue, Explicationis fabularum libri decem*, Patavii, Apud Petrumpaulum Tozzium, ex typographeio Laurentij Pasquati, 1616
ExemplaireHathiTrust : Getty Research Institute - https://catalog.hathitrust.org/Record/100240830
Formatin-4
Paginationp. 222
Exposition virtuelleLa "Mythologie" et ses gravures
Notice créée par Maria Laura Cucciniello Notice créée le 11/09/2023 Dernière modification le 25/11/2024

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/7777?context=pdf

ticis. Fuit Suadela etiam à nonnullis inter Gratias numerata. At communior tamen fuit ſententia quòd tres fuerint, vt in eo verſu teſtatur Meleager:

τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι ὧραι.

Sunt triplices Charites, tres Horæ caſtæ & vrbanæ.

Iunguntur vna ferè ſemper à poetis, vt iunxit Horatius in quarto carminum:

Gratia cum Nymphis, geminiſque ſororibus audet
—— Ducere nuda choros.

Harum vnam cæteris ſororibus iuniorem Aglaiã Vulcani aiunt fuiſſe vxorem, vt eo verſu indicatur:

ἀγλαΐαν δὲ ὁ ἥφαιστος ποίησατο ἄκοιτιν.

Aglaiam facit vxorem Vulcanus at ipſam.

Omnes tamen ſcriptores Veneris aſſeclas putarunt Gratias, quoniam de habitu non parua fuit diſputatio: ſiquidem alij nudas, alij indutas fuiſſe voluerunt. Pauſ. in Bœoticis Gratias antiquitus tam à ſculptoribus, quàm à pictoribus, & à poetis cum veſtibus introductas fuiſſe teſtatur: quarum artifices Pythagoras Parius, & Bupalus, & Apelles extiterunt: & Socrates Sophroniſci illas indutas in veſtibulo arcis Athenienſium collocauit. His comas pulchras tribuerũt antiqui, vt in hoc carmine teſtatus Homerus in hymno in Apollinem:

αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι χάριτες, καὶ ἐΰφρονες ὧραι.

Pulchricomæ Charites, & lætæ pariter Horæ.

Horatius præterea in libro primo carminum illas ſoluiſſe zonas inquit, cùm fruſtra zona ſine veſtimentis portari ſoleat, quæ cingulum eſt veſtium cùm inquiat:

Feruidus tecum puer & ſolutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ.

Illæ igitur cum veſtibus operirentur antiquitus, vel quia turpe eſſet aſpectu nudas mulieres ſine veſtibus conſpici, vel quia brumæ frigora formidarent, inciderunt in recentiores tanquam in latrones, à quibus ſpoliatæ ſunt: & aufugere denique ex orbe terrarum ſunt coactæ, vt præclarè inquit ille poeta:

ᾤχετο μὲν πίστις μεγάλη θεὸς ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
σωφροσύνη χάριτές τ' ὦ φίλε γῆν ἔλιπον.

Ipſa fides perijt magnus Deus, ipſa virorum
Et probitas: terram diffugiunt Charites.

Primus omnium mortalium Gratijs templũ erexit Eteocles quidam Rex Orchomeniorum: Iam ſæpius ad Orchomenios has lotum ire ſolitas ad fontem Acidalium dixerunt antiqui, vt teſtis eſt Strabo libro nono, atque de Gratijs hactenus fabuloſè.

DICVN-

Digitized by INTERNET ARCHIVE   Original from THE GETTY RESEARCH INSTITUTE

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/7777?context=pdf